

nodi, cum huic labendi facilitati, aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, Canones, et Decreta statuerunt in rebus ad Matrimonium spectantibus, a quibus recedere nemini liceret sine piaculo.

103 104 Ubi vero dubium oriatur, et ambiguitas, ipsa Ecclesia consulenda est, nec tanta fides praestanda Doctoribus qui concilii, seu Ecclesiae Doctrinam pro fundamento suarum opinionum non afferant, et hoc eo magis, quia Commentaria, Adnotationes, Scholia, et Glossae, aut ullum aliud interpretationis genus edi non possunt super Concil. Trident. ex Bulla Pii Quarti, quae incipit, *Benedictus 7. Kalend. Februarii 1563.* et hoc sub poena excommunicationis.

RITUS

CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM.

TITULUS DECIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM

- 1 Praesentia Parentum, et Affinium in Matrimonio laudatur.
- 2 Paranympi quinam dicantur?
- 3 Paranympi debent esse aetate proveci.
- 4 Consensus Contrahentium est Matrimonii fundamentum.
- 5 Interrogatio de consensu fieri debet.
- 6 Parochus est Testis omni exceptione major.
- 7 Consensus, ante interrogationes, non est praestandus.
- 8 Nutus non debent precedere Interrogationem.
- 9 Interrogationes vernacula lingua faciendae.
- 10 Testes intelligere debent interrogationem.
- 11 Si contrahentes essent latini, interrogandi latine.
- 12 N. Littera Ritualis designat nomen.
- 13 Nomen Viri primo pronunciare debet in Interrogatione.
- 14 Nomen consuetum, non agnomen, seu Cognomen.
- 15 Contrahentes fictis nominibus male contrahunt.
- 16 Necesse non est superaddere Cognomentum.
- 17 *Volo*, est Responsio libera, et absoluta.
- 18 Potest exprimi per aequipollens.
- 19 Conditionata responsio suspendit Contractum.
- 20 Contractus non concluditur nisi purificata conditione.
- 21 Signa, quae exprimunt consensum, sufficiunt.
- 22 Haec sententia valet pro mutis.
- 23 Nutus sunt actus periculosi, et fallaces.
- 24 Responsio ab utrisque Sponsis danda.
- 25 Parochus peccaret, si omitteret interrogationes.
- 26 Si certus esset de consensu, esset peccatum veniale.
- 27 Natura contractuum est, ut contrahentes ad unum finem concurrant.
- 28 Contractus sumitur, quando hinc inde est obligatorius.
- 29 Matrimonium est contractus mutuus.
- 30 Matrimonium debet firmari per amborum consensum.
- 31 Matrimonium per Procuratorem valide contrahitur.
- 32 Quenam sint necessaria in Procuratore?
- 33 Actus Procuratoris constituit unum actum in genere moris.
- 34 Consensus exprimi debet nomine mandantis.
- 35 Manuum conjunctio est signum mutae fidei.



- 36 Manus dextera nobilior est.
- 37 Manus decet ut sint nuda.
- 38 Per manum conjunctionem non semper arguitur consensus.
- 39 Verba formae pronunciari debent, dum manus conjunctae sunt.
- 40 Ad Valorem Matrimonii minime requiritur, ut pronuncientur verba, *Ego vos conjungo, etc.*
- 41 Sententia contraria, et tutior.
- 42 Si parochus omitteret verba, peccaret.
- 43 Verba in quocumque idiomate dici possunt.
- 44 Aqua benedicta corroborat verba Sacerdotis.
- 45 Anulus datur Sponso.
- 46 Cur Anulus ponatur in quarto digito manus?
- 47 Quare Anulus sit unus tantum?
- 48 Anulus quare rotundus?
- 49 Amor Conjugum debet esse infinitus.
- 50 Anulo nubere antiquissimi ritus est.
- 51 Anulus pronubus benedicatur, et Cur?
- 52 Matrimonia saepe infestantur a Diabolo.
- 53 Anulus pronubus ex qua materia esse debeat?
- 54 Anuli priimi erant ferrei cum uno Adamante.
- 55 Anulus, quo desponsata fuit S. Anna Mater Virg. Mariae.
- 56 Anulus, quo desponsata fuit Maria Virgo.
- 57 Cujus materiae sit, ignoratur.
- 58 Anuli ex quocumque metallo fieri possunt.
- 59 Item ex quocumque lapide pretioso.
- 60 Sponsus accipere debet Anulum de manu Sacerdotis.
- 61 Anuli caeremonia est unum Sacramentale.
- 62 Anuli gestati fuerunt in utraque manu.
- 63 Anuli cum gemmis ferebantur in sinistra manu.
- 64 Manus sinistra destinata ad Anulum.
- 65 Cur Anuli potissimum ferantur in manus sinistra.
- 66 Ratio magis obvia.
- 67 Digitus Anularis quare sic appelletur, et quinam sit.
- 68 Cur Sponsus imponit Anulum Sponsae, et non haec illi?
- 69 Benedictio quandoque differtur post contractum Matrimonium.
- 70 Conjuges non benedicti, hortandi, ut non cohabitent.
- 71 Benedictio cadit sub praecepto, non vero peccati mortalis.
- 72 Benedictio, non est ad essentiam, neque integritatem Sacramenti.
- 73 Benedictio de jure est facienda a Parocho.
- 74 Missa an celebranda sit a Parocho.
- 75 Ritus Matrimonii varii sunt in Orbe.
- 76 Nuptiales caeremoniae fere innumerae.
- 77 Profanae res arcendae a Matrimonio, et a Nuptiis.
- 78 Superstitiosa, et gentilia a Matrimonio eliminanda.
- 79 Liber Matrimoniorum tenendus a Parocho.
- 80 Finis ob quem institutus sit iste liber.
- 81 Fides inviolabilis habenda huic libro.
- 82 Parochus non scribens Matrimonium contractum peccat mortaliter.

De Plerisque in hoc Titulo compendiose contentis diffuse sermonem habuimus in explicatione antecedentis Tituli: pauca ideo remanent, super quibus verba faciamus, cum non aliud in hoc Titulo habeamus, nisi modum, quo in praxi poni debent Doctrinae supra explicatae.

§. I. Parochus igitur Matrimonium celebraturus, publi-

cationibus factis tribus diebus Festivis, ut dictum est, si nullus obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia, superpelliceo, et alba stola indutus, adhibito uno saltem Clerico, superpelliceo pariter induto, qui Librum, et Vas Aquae benedictae cum Aspersione deferat, coram tribus, aut duobus testibus, Virum, et Mulierem, quos Parentum, vel propinquorum suorum praesentia conhonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone: *N. Vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem juxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae?* Respondeat Sponsus: *Volo.* Mox Sacerdos Sponsam interroget: *N. Vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum Maritum juxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae?* Respondeat, *Volo.*

De Stola, et superpelliceo adhibendis in ministracione Sacramentorum, satis jam alibi dictum fuit, et praesertim in primo Titulo horum Commentariorum. Item de Clerico adjutore, de Libro Rituali, deque Vase Aquae benedictae, et Aspersione saepius mentionem fecimus in toto hoc Opere, ubi opus fuit.

1 2 3 Igitur, ad ea, quae remanent me confero, et primo dicendum duco de Parentum, vel Propinquorum praesentia, quae adeo a Rituali laudatur. Haec pariter insinuat in *Act. Mediol.* p. 4. *de Sacr. Matrimon.* cap. 2. ubi monemur, ut qui ad Ecclesiam Sponsus deducturi sunt (qui Paranymphe dicuntur) sint aetate proveci, et morum gravitate praediti, ac plerumque eorum propinqui, et Parentes.

4 5 6 7 8 Prima interrogatio facienda a Parocho est de consensu in Matrimonium. Cumque consensus contrahentium sit Matrimonii fundamentum, sine quo Matrimonium dici non potest tale, imo ad valorem Matrimonii necessario requiratur de essentia, sine qua nihil potest existere, ideo debet iste consensus esse notus Parocho, qui vel ut Minister, secundum aliquos Doctores, vel ut Testis necessarius, secundum alios communiter, huic contractui operam suam praestat, illumque firmat, et corroborat autoritate sua. Coninck. *disp.* 24. *de ess. matr. dub.* 4. et 5. Nec Sponsi priusquam interrogentur, debent praestare hunc consensum inter se: Esset enim hoc contra ritum, et contra consuetudinem: Nihilominus validum esset Matrimonium ita contractum, nisi aliud obstaret impedimentum. Attamen non melius intelligitur consensus nisi post factam interrogationem, quam Mulieres praesumuntur expectare, ad aperiendum consensum suum: nutus enim, interroga-

tione fiant praecedente, non attendi docet Marchant. in *Tribunal. Sacram. post. tom. 3. cas. 3. Sacrament. matrim. fol. 32. et 34.*

9 10 Istaе interrogaciones ut vernaculo sermone fiant praecipitur, ad hoc ut contrahentes intelligant naturam, et vim interrogationis, et respondere valeant. Insuper eam intelligere debent Testes rogati, in quibus qualitas illa requiritur, ut possint testificari de Matrimonio actualiter coram ipsis contracto, ut observat Narbona *de aetate, Ann. 7. q. 31. num. 3.* atque ut Testes sint bonae conditionis, et famae, Rota *dect. 411. n. 1.* coram Royas: id quod tamen non limitatur a nostro textu, qui nullum discrimen ponit inter Testem, et Testem, quos ad libitum vult accipiendos. Sed ut ad interrogaciones redeamus, *Sacerdotale Brixinen.* a me toties commendatum, has interrogaciones scribit caractere Germanico.

11 Quod si tum Sponsi contrahentes, tum Testes bene callerent linguam latinam, vel latini essent, non video, cur Parochus eos non possit latina forma a Rituale descripta, interrogare, et responsum accipere. Idioma enim hoc nihil alterat essentia Sacramenti, et contractus, sicuti non adimunt quidquam in Baptismo Abrenunciationes, et Interrogaciones, quae a Sacerdote fiunt Baptizandis latino sermone juxta praescripta.

12 13 14 15 Interrogaciones incipiunt a nomine proprio contrahentis, nam pro illo *N.* intelligitur Nomen, et primo Viri, deinde Mulieris ob dignitatem, et praerminentiam naturae. Hoc nomen debet esse illud consuetum, usitatum, et proprium, quo quis illorum communiter appellatur; non Agnomen, seu Cognomentum, vel aliud antonomastycum, quo quis illorum communiter vocetur; et hoc ad vere significandam, et indicandam identitatem Personae: Contractum enim Matrimonium fictis nominibus Titii et Bertae, non valeret nisi ista nomina apparerent in dispensatione: *Rota in Romana Matrimonii 19. Januar. 1684. §. pro sexta, et seqq.* coram Ursino: Quod etiam ad incertitudinem cognominis extenditur, *Ursaya T. 1. p. 2. d. 1. n. 36.*

16 Post nomen non utique est necessarium addere Cognomen gentilitium, quia per verba illa: *hic praesentem*, satis indicatur quinam sit ille, de quo agitur. Nihilominus ad abundantiam, nonnulli solent addere quoque Cognomen Prosapiae, et Nomina Parentum illorum, qui contrahunt, ad evitandum omnem errorem circa Personam.

17 18 Responsio per Verbum *Volo*, libera est et absoluta, *Barbos. dict. 436. num. 1.* talis etiam esse potest per aequipollens, ut communiter in Italia sonant Verba, *Signor si*, et latine, *Utique: maxime: etiam vere*, et hujusmodi etiam in linguis exteris, prout idiomata varia pronuntiant.

19 20 21 22 23 Conditionata Responsio, sive conditionatus consensus, suspendit contractum, non firmat, ideoque si responderetur per particulam *si*, v. g. *Si placet Parentibus meis*, non concluditur contractus ante consensum Parentum; et iste consensus debet clare exprimi: post quem Sponsus, sive Sponsa qui hanc conditionem apposuerunt, debent de novo interrogari, donec responsio sit absoluta, *Engel. p. 3. sect. 2. num. 2.* *Coninck. disp. 24. de essentia Matr. dub. 4.* qui in dubio antecedenti *num. 33. concl. 2.* ait: ad valorem Matrimonii non requiri certa verba, sed quaevis signa sufficere, quae internum consensum expriment, et majora dicit *in dub. 8.* Sed haec conclusio pro muris tantum valet, qui nutibus, et non aliter possunt exprimere consensum. Ideoque idem *Coninck dub. 8. concl. 4.* omnino vult eos, qui loqui valent, verbis suum consensum exprimere: quare Parochi nullo modo debent tolerare, aut permittere, aliter fieri: nutus enim sunt actus valde periculosi, et fallaciis pleni, ex *Tesaur. Quaest. Foren. l. 2. q. 90. n. 77. Rota deo 308. num. 7. p. 10. recent.*

24 Singuli contrahentes interrogari debent, quia quamvis esse debeat amborum voluntas, quae concordet in unico consensu, attamen potest dari quod una non approbet id quod altera exprimit. Itaque explorari debent singillatim, nam si primus interrogatus vel non responderet, vel conditionate, vel negative se haberet, non opus esset ut amplius ad interrogandum alterum procederet Parochus, quia Matrimonium per unius tantum dissensum dissolvitur, *ex cap. cum locum 14. de Sponsal. vel saltem suspenditur, et non firmatur.*

Ultra quam quod si amborum debet esse consensus, ut in sequenti Paragrapho dicemus, duplex responsio exigenda erit, ergo in duplici actu elicienda, ne confundantur responsiones.

25 26 Quod si omitterentur istae Interrogaciones de mutuo Contrahentium consensu, Parochus graviter peccaret, ut docet *Barbosa, et Basil. Pont. cap. 26. §. 2. vers. ex quibus, condit. 6.* nisi certus esset firma certitudine de mutuo illorum consensu: tunc enim omissio hujus Interrogacionis esset tantummodo Peccatum veniale, *Bonacina de Matr. q. 1. punct. 8. num 40.*

§. II. Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se sive per Procuratorem.

27 28 Natura quorumcumque contractuum est, ut si concludi, et firmari velint, debeat consensus partium in unum,

et eundem finem concurrere: Si enim una pars dissentiat ab alia, contractus non dicitur firmatus, cum contractus sit duorum, pluriumve in idem consensus, sive conventio ex utraque parte obligatoria *leg. Labeo, §. Contractum, ff. de verbo signif. l. 3. in princip. ff. de oblig. et act. Tusc. litt. C. concl. 979.* et quamvis (etiam si unus tantum obligaretur) vocetur contractus, improprie hoc tamen est Contractus enim sumitur proprie quando hinc inde est obligatorius, *L. d. juncta l. 3. in princip. ff. de act. et oblig.*

29 30 Igitur cum Matrimonium communiter per Doctores statuatur esse Contractus, ad hoc ut sit contractus obligatorius, debet esse hinc inde firmatus, *Soar. §. final. Instit. de obligat. nec potest aliter, nec melius firmari, nisi per amborum contrahentium consensum.*

De expressione consensus, et signo sensibili, verba nuper fecimus in antecedenti Paragrapho in fine. Modo de Matrimonio per Procuratorem contrahendo, sermo faciendus est.

31 32 Matrimonium per Procuratorem valide contrahitur; hoc enim aperte habetur *in c. fin. de procurat. in 6.* in Procuratore tamen tria necessario requirantur. Primo ut habeat speciale, et legitimum mandatum ad hoc. Secundo, ut Procurator per se agat hoc negotium; non enim potest alium substituere, nisi hoc in mandato sit expressum. Tertio, ut constituens Procuratorem, consensum non revocaverit, antequam Contractus, sit initus. *Coninck. d. 24. de essent. Matrim. dub. 9. num. 67. 68.*

33 34 Haec generaliter dicta sint: sed ut de consensu a nostra Rubrica aliquid dicamus sciendum est, quod actus Procuratoris constituit unum actum in genere moris cum consensu Mandantis. Unde sequitur, quod Procuratores debent exterius exprimere, se nomine talis, cum tali contrahere ita, et taliter, ut, ii, quorum interest, intelligant, *Sanchez d. l. 2. d. 11. n. 16. et 28.* et iste consensus exprimi debet nomine mandantis, non autem nomine mandatarii, ut pro illo, non autem pro se contrahat, *Coninck num. 80.*

§. III. Mutuo igitur contrahentium consensu, Sacerdos jubeat dexteram, dicens: *Ego conjungo, etc.* vel aliis utatur verbis; juxta receptum uniuscujusque Provinciale ritum.

35 36 37 Mutua fides nullo meliori actu externo exprimitur, quam per manuum conjunctionem, qua olim Antiqui exprimebant Concordiam, ut in Nummis veterum Imperato-

rum facile dignosci potest. Textus est *C. Taciti Hist. l. Centurionemque Sisennam dextris concordiae insignia, Syriaci exercitus nomine ad Praetorianos ferentem.* Manus dextra nobilior est, atque ideo ea utendum praecipitur, ad cordis fidelitatem, et concordiam demonstrandam, *Tiraquell. de leg. conub. l. 9. num. 147.* et decet has manus esse nudas, et absque chirothecis, ob decentiam Sacramento convenientem, *Nevizan Sylv. nupt. l. 3.* et ne palliatus videatur contractus.

38 Notandum hic tamen est, quod nullum fieri valet fundamentum ad probandum Matrimonii contractum in manuum conjunctione simpliciter: constat enim inter Doctores, ex desterae datione non statim argui consensum expressum tendentem ad finem conjugalem, cum multis ex aliis de causis subinde adhibeatur; ex *Hopping. cons. 7. ante finem;* et melius *Rota dec. 175. in princ. et num. 1.* coram *Peuting.* ibi: *Ac statim ambo concorditer sibi manus porrexerunt etc.* Qui actus inter vulgares personas frequens, secundum communem observationem non praesertit Matrimonii contractum; et esse potest signum amicitiae, et urbanitatis.

39 Dum dexteram junctam sunt, Sacerdos pronunciat verba a Rituali praescripta, et dicens: *In nomine Patris, etc.* facit super manus signum Crucis, contractum illum in nomine Sanctissimae Trinitatis benedicendo. De Virtute Signi Crucis alibi dictum est, et plura habemus ex *Quart. de Benedictionibus, num. 322. dub. 3. titul. 3.*

40 41 42 Quoad verba a Rituali praescripta. *Ego vos conjungo, etc.* minime requiritur ad Matrimonii validitatem; ut a Parocho, vel ab alio assistente pronuncientur, *Barbos. de pot. Paroch. p. 2. c. 21. n. 88.* cum *Perez,* et aliis sexdesim Theologis; quia Tridentinum Concilium in clausula irritante non facit ullam mentionem verborum. Sed idem *Barbosa* concludit eum *Bonacina q. 2. punct. 8. num. 39.* Quod Parochus tenetur ex praecepto *Conc. Trid. d. c. 1.* adhibere praedicta verba, vel saltem illa, juxta ritum, et consuetudinem loci; et si omitteret dicta verba, mortaliter peccaret, quia violaret praeceptum Concilii secundum *Salzed. ad Bernard. c. 76. litt. B, vers. 2.* *Henriq. l. 11. c. 2. §. 1. Rebell. l. 2. q. 7. sect. 1. n. 4.* Alii vero cum *Sanchez,* tenent, esse peccatum veniale tantum, *Barbos. dict. loc.*

43 Certum equidem est varias Regiones varia consuetudine, et diversis verbis uti. *Sacerdotale Brixinense.* quod prae manibus habeo, utitur verbis ideomate Germanico, et ponit in hac conjunctione nomina expressa Sponsi, et Sponsae; supra quorum manus extremitatem Stolae superimponit, eodem tempore quo verba pronunciat. Cum vero haec varia verborum pronuntiatio Matrimonii validitatem non infirmet sed idem